

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 19 (In omnem
terram exivit sonus...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 19 (In omnem
terram exivit sonus...)*

In omnem terram exivit sonus, qui de vobis laudes innumeras et immense probitatis insignia preconatur, ex quibus precipue, furo per Deum vobis, cor meum incaluit, ut ad regie maiestatis presenciam vestrumque conspectum non differem ulterius me conferre firme spei spiritum hauriens, ut favoris flores et gracie fructus colligam ex ameno benignitatis vestre vireto, quod aliis claudere non soletis. Faciens itaque de persona, carne videlicet ossibus et medullis rebusque meis ceteris licet paucis, que sola mihi de naufragio supersunt fortune, unicam hostiam, quam precise vestris offero beneplacitis et mandatis, queso suppliciter, ut zelo suggerente virtutum et flamma fragrante solite caritatis me totum in vestrum recipientes domesticum licet forsan inutilem servitorem sub umbra alarum vestrarum dato vobis a Deo potencie robore fulciatis.